



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxiii. Ad suppressam aluum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Ad suppressam aluum.

CREBRO anulum perticæ admouet; excrementa reddit nigra. hoc remedio curabis, quod continet aloës in modum iecinoris contritæ sextulam, teaphis Asianæ siliquam, mel quantum satis sit: hæc misceto, dato accipitri ex carne bubula quotidie septem offas, in quas tantum ex medicamento hoc insperges, quantum capit cuspis gladij. Cum vociferatur interea dum excrementa reddit, ipsius autem oculi lacrymatur, ita illum curabis. per triduum, pullos gallinaceos inferuefactos ipsi dabis, & aluum deijciet, vel mures Ponticos viuos cum pilis ipsi dabis: vel melle despumato conspersam carnem, vel muscatam in aqua mulla conteres, carniq. insperges: vel aloen in modum iecinoris concretam dabis. Sunt qui cerui medullam, butyrum, oleum nouum, betæ radicem coquant, eorumque decocto addant argalicum. hyoscyamum, polytrichum oleum, rosaceum, eaque in offas redacta dent accipitri. Vel radices synapis & caryophylli cum ouillo lacte, aut oleo Hispanico mistas & tunfas ex carne suilla dent, aut succum cynoscheti, pollinem piperis, apijsement:

melle conspersa ex carne suilla præbeant.

Ad calculos & difficultatem urinandi.

ACCIPITREM calculis & difficultate urinandi torqueri ita cognosces. non excrementa reddit, nisi exigua, & cum gemitu, & id ipsum quod reddit, durum est sicut lapis. Raphanum radito, & conspergito sale, in ahenum nouum inijcito, lento igne dissolui finito, eius decocto suillam carnem conspergito, post in pleuim aquæ plenam ipsum indito, illicque totum maneat facito. & quoniam febris tenetur, quantum bibere velit, finito. quo enim plus bibit, eo magis sanabitur. Vel lentem conterito, cum oleo rosaceo & melle misceto, hisque carnem asperam dato accipitri. Vel olerum radices & sinapis folia contundito cū resina terebintina in aquam misceto: vbi triueris cum decocto raphani, vt dictum est, eo carnem conspersam dato accipitri. vel herbam clysteriam cum oui albo liquore, & melle, & exiguo sale commistam illius faucibus infundes. Vel treis allij partes coquito cum semine herbæ nuncupatæ mesicalæ, terito, calefacito, dato accipitri. Vel carnem bubulam melle sparsam ipsi dabis.

Ad albu-